



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Philaretvs Conf. 1. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

lacrum erat. Ad hos iuvandos, nec aliò Regum benevolentia utebatur, à quibus, cum jam miraculis etiam clarus esset, Episcopus Noviomensis dicitur, cum eo in munere Apostolus Flandria dici meruisset, cœnobìa plura fundasset, corpus etiam S. Quintini Mart. repertum terrâ eruit, vicemque ipsius suum huic mandavit. Ex *Lippeloo.*

S. PHILARETVS CONF.

1. Decembris.

Paphlagonia PHILARETVM genuit rusticę sortis hominem, sed qui sementem egregie facere novit. Cum enim optimos agros non malè existimaret pauperes esse, in hos liberali manu disseminare sua non prius abstinit, quàm ipse denique egeret. Non tamen fidem fefellere optimi coloni tam bene culta arva. Etenim cum Irene Imper. filio Constantino sponsam diu circumspiceret, Maria demum, formæ id temporis unicum miraculum eademq; PHILARETI neptis placuit. Igitur Maria ad regium thalamum, PHILARETVS ad summos honores, Consulatum evocatur. Hic verò noster ab aratro Consul in id potissimùm incubuit, ut pauperum necessitati consuleret. Nimirum vidisses proletarios & uno capite prius censos censum jã Consulis nu-

numerare: Iam pontem Consulis Curiam dixisses, pontisque incolas conscriptos PP. qui utique frequentes coibant in eum senatum, in quo de ipsorum salute consultabatur. Porro PHILARETVS supremum ægrotans, cum agnati sanguinis omnes convocasset, multa præclara moriens oracula dedit, ultimò eos omnes suæ in miseros pietatis heredes scripsit, & testamentum pulcherrimo dicto (*estote misericordes*) obsignavit. *Ex Menais.*

S. FRANCISCVS XAV. S. I.

2. Decembris.

FRANCISCVM XAVERIVM dæmus, virum, cuius animo alter etiã orbis angustus fuit. Dum vixit, virgo vixit. Testimonium animo integerrimo corpus dixit, longè post mortem etiam in vivâ calce integrum. Sui semper egregius victor non semel è morbidi ulcere ipsum pus hausit. Sed tam sitibundum DEVS deinde tot delitiis per omnem vitam perfudit, ut ebrius sæpè exclamare, diducto à pectore vestimento, coactus sit: *satis est Domine, satis est.* Apostoli per novum orbem non tam nomen, quàm vitam tulit, ad id muneris ab ipso Numine dilectus. Siquidem multò antè in somnis terri coloris hominem, & qualem Indum effingimus, portare humeris sibi per quietem visus est.